



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

Modus juvandi morientes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

regno coelorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Jesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. **R.** Deo gratias.

Postea benedicens infirmum subjungat, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Patris **H**, & Filii, & Spiritus sancti, descendat super te, & maneat semper. **R.** Amen.

MODUS JUVANDI MORIENTES.

Primò, si ægrotus indulgentiam, legitimâ authoritate concessam, consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatque, quid ad eam consequendam agi debeat: præsertim, ut contrito corde sanctissimum nomen Jesu semel vel sæpius invocet.

Secundò porrigendus est cereus accensus ægrotò, & sequens oratio pro agonizante, seu ex persona ipsius recitabitur, facie ad Christum crucifixum conversâ.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui pro me in agone montis olivarum, sanguinem simul, & aquam largiter desudans, & in oratione decumbens, cum clamore valido & lacrymis te ipsum offerens, exauditus es pro reverentia tua; & pro me exauditus: pietatis tuæ abundantiam supplex adoro, & obsecro; ut hanc mihi luctam, tui certaminis merito efficias salutarem. Ignosce peccatis meis, & mitte mihi Angelum confortantem, qui adversus fathannicas potestates me tueatur, qui Diaboli vires conterat,

De cura Agonizantium.

terat, qui in hoc agone me corroboret, qui deducat per ignotas, quas ingressurus sum, semitas in viam salutis æternæ.

Ad B. Virginem Mariam.

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.

Ad S. Michaëlem.

Sancte Michaël Archangele, quem Principem Dominus constituit super omnes animas suscipiendas, defende me in hoc prælio, ut non peream in tremendo Dei iudicio : sed suscipe me tuendum contra principem tenebrarum ; & ex ergastulo carnis egredientem deduc in paradisum exultationis.

Ad reliquos SS. Angelos.

Spiritus cœlorum Angeli beatissimi, assistite, quæso, mihi migranti ex hoc sæculo, & potenter eripite me ab immundorum spirituum insidiis, & animam meam in vestrum consortium assumite : Tu præcipuè Angele bone custos meus.

Ad SS. Patrōnos.

O gloriosissime Sancte (**Sancta N.**) **N.** quem (**quam**) mihi ut patronum (**patronam**) in hac vita delegi, etsi non pro dignitate colui ; nunc maximè (si unquam aliàs) tuo est mihi opus auxilio ; succurre igitur, & in hoc necessitatis meæ articulo, &
intende

intende in adiutorium meum: ut apud misericordem Dominum, qui non vult mortem peccatoris, misericordiam possim invenire: & is, qui calcaneo meo insidiatur, nihil in me inveniat, unde figat dentem, & vulnus infligat: sed tuis munitus suffragiis, in misericordia suscipiar, & transeam à morte ad vitam. Amen.

~~Legantur etiam Litanie de omnibus Sanctis, quae administrationi extremæ Uctionis insertæ sunt supra pag. 72.~~

~~Deinde in agone exitus animæ dicantur sequentes commendationes.~~

Oratio.

Proficiscere anima Christiana de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit: in nomine Jesu Christi filii Dei vivi, qui pro te passus est: in nomine Spiritûs sancti, qui in te effusus est: in nomine Angelorum & Archangelorum: in nomine Thronorum, & Dominationum: in nomine Principatum, & Potestatum: in nomine Cherubim, & Seraphim: in nomine Patriarcharum, & Prophetarum: in nomine sanctorum Apostolorum, & Evangelistarum: in nomine sanctorum Martyrum, & Confessorum: in nomine sanctorum Monachorum, & Eremitarum: in nomine sanctarum Virginum, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei: hodie sit in pace locus tuus, & habitatio

bitatio tua in sancta Sion. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio.

Deus misericors, Deus clemens, Deus qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata poenitentium deles, & praeteritorum criminum culpas veniam remissionis evacuas; respice propitius super hunc **N.** & remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo piissime Pater, quidquid terrenam fragilitate corruptum, vel quidquid diabolicam fraude violatum est: & unitati corporis Ecclesiae membrum redemptionis annecte. Miserere Domine gemitum, miserere lacrymarum ejus: & non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuae Sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

inpropria ex agend. paderb. pag. 40 commendo te omnipotenti Deo
Suscipe Domine servum tuum in locum sperandae sibi salvationis a misericordia tua. Amen.

Libera Domine animam servi tui ex omnibus periculis inferni, & de laqueis poenarum, & ex omnibus tribulationibus. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut libera-
 sti Enoch, & Eliam de communi morte mundi.
 Amen. **L**ibera

Libera Domine animam servi tui, sicut liberaſti
Noë de diluvio. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti
Abraham de Vr Chaldæorum. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti
Job de paſſionibus ſuis. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti
Iſaac de hoſtia, & de manu Patris ſui Abrahamæ. Amē.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut libe-
raſti Loth de Sodomis, & de flamma ignis. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti
Moysen de manu Pharaonis regis Ægyptiorum.
Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti
Danielem de lacu leonum. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti
tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu re-
gis iniqui. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti
Sufannam de falſo crimine. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti
David de manu Regis Saul, & de manu Goliæ.
Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberaſti
Petrum & Paulum de carceribus. Amen.

Et ſicut beatiffimam Theclam Virginem, &
O Mar-

Martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberaſti, ſic liberare digneris animam hujus ſervi tui, & tecum facias in bonis congaudere coeleſtibus. *R.* Amen.

Oratio.

Commendamus tibi Domine animam famuli tui **N.** precamurque te Domine Jeſu Chriſte, Saluator mundi, ut propter quam ad terram miſericorditer deſcendiſti, Patriarcharum tuorum ſinibus inſinuare non renuas. Agnoſce Domine creaturam tuam, non à diis alienis creatam, ſed à te ſolo Deo vivo, & vero: quia non eſt alius Deus præter te, & non eſt ſecundum opera tua. Lætifica Domine animam ejus in conſpectu tuo, & ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, & ebrietatum, quas fuſcitavit furor, ſive fervor mali deſiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum non negavit, ſed credidit, & zelum Dei in ſe habuit, & Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

Oratio.

Deliſta juventutis, & ignorantias ejus, quaſumus, ne memineris Domine, ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam memor eſto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei coeli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum Domine ſervum

servum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michael Archangelus Dei, qui militiae coelestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti Angeli Dei, & perducant eum in civitatem coelestem Jerusalem. Suscipiat eum beatus Petrus Apostolus, cui à Deo claves regni caelestis traditæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo sanctus Joannes electus Dei Apostolus, cui revelata sunt secreta coelestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus à Domino data est potestas ligandi, atque solvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti & Electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt: ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam regni coelestis: præstante Domino nostro Jesu Christo: qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. **R.** Amen.

*hic ad sanctos ex ag: pax: sui: si anima diutius an
xiat, possunt dici psalmi ex completorio et illis subnecti hæ orationes
pag 48 Kyrie eleison etc*

Egressa autem animâ, dicitur hoc Responsorium.

Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini: suscipientes animam ejus: Offerentes eam in conspectu Altissimi.

V. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, & in sinum Abrahamæ Angeli deducant te. Suscipientes &c.

V. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. Offerentes, &c.

O 2

Deinde,

Deinde, **K** yrie eleison. **C** hriste eleison. **K** yrie
eleison. **P** ater noster, &c.

E t ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo,

V. Requiem æternam dona ei Domine.

R. Et lux perpetua luceat ei.

V. A porta inferi:

R. Erue Domine animam ejus.

V. Requiescat in pace. **R.** Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum. &c.

Oratio.

T ibi Domine commendamus animam famuli
tui **N** ut defunctus sæculo tibi vivat : & quæ per
fragilitatem humanæ conversationis peccata
commisit, tu veniã misericordissimæ pietatis ab-
sterge. **P** er **C** hristum **D** ominum nostrum.
A men.

Deinde corpus de more honestè compositum loco decenti cum
lumine collocetur, ac parvâ cruce super pectus inter manus defuncti:
at ubi crux deest, manus in modum crucis componantur, inter-
dumque aspergatur aquâ lustrali, & interim donec efferatur qui ad-
sunt, orabunt.

DE EXEQUIIS.

S acras cæremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione, &
summorum Pontificum institutis sancta Mater Ecclesia Catho-
lica in filiorum suorum exequiis uti solet, tanquam vera religionis myste-